

10. Sed quæret aliquis quomodo intelligendum sit hanc institutionem esse specialiter Spiritui Sancto tribuendam. Aut enim est sensus, non potuisse Ignatium et socios sine speciali Spiritus Sancti gratia et inspiratione, tantum opus inchoare et perficere; aut sensus est ex singulari aliqua revelatione, aut extraordinaria motione, aut directione infallibili, qualis dari solet Prophetis, aut sacris Scripturis, hanc institutionem originem duxisse. Si prior tantum sensus intentus est, res est certissima, et fere evidens ex principiis fidei, quibus docemur, nullum pietatis opus inchoari, aut fieri posse a nobis, sine Spiritus Sancti præcisa inspiratione, et subsequente adjutorio. Quis autem dubitare audeat conatus Ignatii et sociorum in hac religione fundanda fuisse pietate plenos, cum sine magna fide ac religione, et ferventi charitate ac obedientia tantum opus aggredi non potuerint. Itaque in hoc sensu dubitari non potest quin ab Spiritu Sancto fuerint moti et adjuti. Hæc autem parva et communis valde laus est, cum ille modus originis ab Spiritu Sancto omnibus pietatis operibus communis sit. Ex quo solum concluditur, bonum et meritorium fuisse huic operi incumbere; inde tamen inferri non potest, aut opus ipsum habere aliquam singularem excellentiam, aut fuisse utiliter aut convenienter inventum; potuit enim esse ex zelo, et non secundum scientiam; potuit etiam voluntas ejus esse ab Spiritu Sancto, in ipsa vero fabrica vel institutione nihil esse nisi mere humanum, atque adeo expositum mille erroribus ac defectibus. Si vero alter sensus est intentus, ille quidem magnam laudem continet, verendum tamen ne sit nimia, et non sufficienter probata; nam inde sequeretur omnia, quæ in hoc instituto continentur, omnino esse certa et infallibilia, quod dicendum non est.

Religionem hanc convenientissime ab Apostolica Sede approbatam et confirmatam.

11. Antequam ad hanc interrogationem respondeam, de tertia causa hujus instituti proposita in num. 1 dicendum breviter est, quantum in hæcenus dictis jam fere contineatur. Dico ergo religionem Societatis convenientissime fuisse ab Apostolica Sede approbatam et confirmatam. De approbatione ex Apostolicis bullis sæpe citatis satis constat. Nam Paulus III in prima bulla sic inquit: *Præmissa omnia, et singula, tanquam ad spiritualem profectum doctorum sociorum, et reliqui Chris-*

tiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa scientia probamus, confirmamus, et benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus, ipsosque socios sub nostra, hujusque sanctæ Sedis Apostolicæ protectione suscipimus. Et deinde facultatem concedit condendi constitutiones quæ ad finem Societatis, Christi gloriam, et proximi utilitatem conformes sint, quas, eo ipso quod legitime sint conditæ, eadem Apostolica auctoritate vult esse confirmatas, ut latius in bulla secunda declarat. In bulla autem quinta Societatem commemorans idem Pontifex: *Per nos (ait) institutam et approbatam.* Non enim confirmatoris tantum, sed etiam instituentis nomen usurpare voluit Pontifex, vel ut majorem benevolentiam in Societatem ostenderet, eamque majori honore afficeret; vel ut indicaret se fuisse primum Societatis confirmatorem; vel denique quia propter specialem subordinationem quam hæc religio habet ad Apostolicam Sedem, et quia ejus institutum in hoc peculiariter consistit, quod tota Societas proxime sit dicata servitio Summi Pontificis, et ab ejus nutu et servitio pendeat, ideo ejus institutio non solum pendebat a Pontifice, quoad generalem approbationem religionis, sed etiam quoad acceptationem talis voti ac traditionis. Hinc fortasse ortum habuit, quod de Societate dixit Kemnitiu hæreticus, ut refert Payva, lib. de Origine Societatis, a Romano, scilicet, Pontifice fuisse excogitatam, ut labentem Ecclesiam fulcire aliquo modo posset, quod ab hæretico in opprobrium Societatis dictum est; ignorans autem quid diceret, summam de illa laudem protulit. Deinde Julius III, in bulla confirmationis eandem approbationem confirmat illis verbis: *Auctoritate Apostolica tenore præsentium erectionem et institutionem Societatis, etc., perpetuo approbamus et confirmamus.* Pius autem IV, in prima sua bulla, eandem confirmationem commemorat, et multis verbis, ac benevolentia signis confirmat. Idem Pius V, in omnibus fere bullis, et præsertim in ultima, in qua non solum Societatem confirmat, sed etiam in mendicantium numerum illam recipit. Idem latissime Gregorius XIII, præsertim in illis duabus constitutionibus, *Quanto fructuosius, et, Ascendente Domino.* Ac tandem Concilium Tridentinum, sess. 25, c. 16, de Regular., eandem approbationem ita commemorat, ut ipsum denuo institutum laudet ac approbet, et in omnibus minime mutatum velit, dicens: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit*

aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum Societatis Jesu juxta pium eorum institutum a sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, et ejus Ecclesie inservire possit.

12. *Quædam pro Societatis approbatione notanda. — Quorundam impudentia notatur, et Pontificum auctoritate exploditur. —* In hac autem approbatione nonnulla consideranda sunt. Primum est, in ejusmodi instituto prius approbati pietatem et sanctitatem, vel (ut clarius Julius III dixit) *nihil quod pium, sanctumque non sit, in dicta Societate ejusque laudabilibus institutis reperiri.* Et quoad hoc approbatio habet vim cujusdam authenticæ definitionis vel declarationis, cui falsum subesse non potest, ut supra tractando de religione in genere ostensum est, et ideo non est necesse ut denuo probemus approbationem quoad hanc partem fuisse convenientem; nam, eo ipso quod facta est, certissimum est convenientem esse, et veritati approbanti conformem. Deinde considerandum est approbationem, quoad hanc rationem, cecidisse proprie in ea quæ distincte fuere Pontifici proposita, quia non poterat prudenti modo aliter fieri approbatio, quæ dictam infallibilitatem contineret; et ideo non sine causa specialiter dictum est a Paulo III: *Præmissa omnia, et singula approbata fuerunt.* Reliqua vero, quæ virtute ibi continentur, vel per generalia verba proponuntur, solum intelliguntur approbata, vel si omnino necessaria fuerint ad veritatem eorum quæ distincte approbantur, vel solum secundum quamdam moralem fidem ac credulitatem, si solum morali etiam probabilitate cum eis fuerint conjuncta. Hinc tertio expendo, cum Paulus III, in bulla secunda, explicat se ita concedere Societati facultatem condendi constitutiones, ut, eo ipso quod fiant, velit esse sua auctoritate munitas, non uti verbo *approbandi*, sed tantum *confirmandi*; inter quæ duo verba hanc differentiam considero, quod *approbare* refertur magis ad intellectum, pertinetque ad clavem scientiæ; *confirmare* autem magis spectat ad clavem jurisdictionis, referturque ad vim obligandi. Voluit ergo Pontifex dare robur et valorem constitutionibus, eo ipso quod fiant, non tamen propterea eas ita approbet, ut declaret esse convenientes aut opportunas, supponit autem eas esse debere honestas, et utiles ad Societatis finem, Christi gloriam, et proximorum utilitatem, ut ibidem præmittit. Quarto adverto, Pontifices non fuisse contentos approbando hoc institutum ut sanctum et pium, sed etiam

ut Ecclesie valde opportunum, et moraliter necessarium ad finem intentum, quod non sine providentia divina factum est, propter eos qui calumniari possent, hoc institutum, licet bonum sit, non tamen fuisse Ecclesie necessarium, vel eo tempore conveniens. Neque enim defuerunt, qui cum in aliis censerent quoad hoc Pontificem posse errare, senserint etiam in hoc facto errasse, quod profecto impudentissimum est, maxime cum expresse tot Pontifices etiam quoad hanc circumstantiam distincte institutum probaverint. Quod patet expresse ex illis verbis Pauli III: *Præmissa omnia, et singula, tanquam ad spiritualem profectum eorundem sociorum, et reliqui Christiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate, etc.* Et in altera bulla inquit: *Ipsorum, et cunctorum Christi fidelium animarum salutem zelantes, etc.* Et Julius III: *Considerantes, etc., eaque omnia, ad suorum et omnium Christi fidelium, et fidei exaltationem tendere.* Et clarius Gregorius XIII, in constitutione *Quanto fructuosius: Ad quem finem* (inquit) *Spiritus Sanctus, qui bonæ memoriæ Ignatium Loyolam ipsius Societatis institutorem, ejusque socios excitavit, media etiam præclara, maximeque opportuna hujus Sedis ministerio eis tribuit, atque confirmavit.* Et in altera bulla, *Ascendente Domino: Ipsius* (inquit) *instituta, tanquam fundamenta ejus præsidii, quod catholice religioni impendunt, immota, atque inconcussa aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri; et infra: Cum divina providentia pro temporum necessitate varia et salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque subinde in ea nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium ordinum auxilia excitavit, et cuique illorum juxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiare quasdam notas, propria insignia, ac opportuna ad finem, quem intendunt, media suggererit, et nunc maxime, etc.; et infra: Nos universalis Ecclesie utilitati, quam ex inviolato et inconcusso Societatis instituto, et religiose sobolis educatione sentimus, et majorem in dies speramus, prospicientes de Apostolicæ potestatis plenitudine, etc.* Dupliciter ergo quoad hanc partem approbatur Societatis institutum. Primo, ut utile, ac necessarium (ad melius esse loquimur) ad finem quem intendit; secundo, quia religio intendens talem finem, per talia media, valde opportuna fuit Ecclesie, et in eodem sensu necessaria. Quomodo idem Grego-

rius XIII, in bulla concessa anno 1576, quæ incipit: *Salvatoris: Propter ipsius Societatis* (inquit) *tam utiles, tamque necessarias functiones; et infra: Tam salubribus dictæ Societatis ministeriis, quæ pro eorum dignitate, et majori fidelium fructu in locis aptis, ubi major seges, et frequentior populi consuetudo viget, exerceri et ministrari debent.* Quam vero tota hæc approbatio veritati ipsius rei conformis sit, satis ex dictis de fine et mediis Societatis, et de effectibus ac fructibus ejus constare existimo.

13. Ex his ergo ad interrogationem nūm. 10 factam respondeo, institutum hoc specialiter tribui Spiritui Sancto, non solum eo modo quo universa pietatis opera ab ipso manant, sed etiam quia ab illa speciali providentia, qua Spiritus Sanctus universalem Ecclesiam regit et protegit, duxit originem. Unde fit ut, quantum attinet ad substantiam instituti, quæ consistit in intentione talis finis per talia media primaria ac principalia, non solum credendum sit habuisse B. Ignatium quomodo-cumque Spiritus Sancti excitationem et inspirationem, sed etiam specialissimam directionem, ut ab eo, quod Ecclesiæ opportunum erat, non aberraret, imo etiam ut tam prudens et immensum opus posset concipere et architectare. Quod si quis pie credat directionem hanc per expressam revelationem sæpe factam esse, nihil fortasse a veritate deviare, ut ex historia vitæ ejus intelligi potest. Quidquid vero sit de expressa revelatione, saltem specialis instinctus Spiritus Sancti per specialia dona superiora ordinariis virtutibus et auxiliis earum negari non potest. Atque hoc modo verum censeo, in his quæ pertinent ad substantiam instituti (sub quibus ea omnia comprehendo, quæ a Sede Apostolica expresse in specie recognita et approbata sunt), ita fuisse Ignatium motum et directum ab Spiritu Sancto, ut neque erraret, neque ab eo, quod Ecclesiæ utile et opportunum futurum est, deviare, non quod putemus singula verba ejus ab Spiritu Sancto fuisse dictata, sicut in tom. de Fide, disput. 5, sectione tertia, a numero quarto, diximus de scriptore Canonico; sed quod res ipsæ, in quibus substantia instituti consistit, fuerint prædicto modo suggestæ ex speciali providentia Spiritus Sancti; et hoc videtur mihi sufficienter probatum, tum ex dicta approbatione, tum ex fructibus et effectibus hujus operis, tum etiam ex re ipsa, considerato fine et mediis hujus instituti, et circumstantiis omnibus erectionis ejus.

CAPUT V.

UTRUM SOCIETAS SIT PER SE RELIGIO CLERICORUM, NON SOLUM HABITU, SED ETIAM RE IPSA, ET QUAS PROPRIETATES INDE CONSEQUATUR.

1. *Ratio utrinque dubitandi.*—Hactenus explicui causas veluti extrinsecas hujus instituti; nunc intrinsecas declarare intendo, ut ita specifica ejus ratio et perfectio magis constet. Causæ autem alicujus rei intrinsecæ sunt materialis et formalis. In statu vero religioso, nihil aliud potest habere rationem materialis causæ, nisi personæ ipsæ, ex quibus talis congregatio coalescit, et hoc est quod in præsentem exponere intendimus. Videmus enim a Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 16, de Regular., Societatem esse vocatam *religionem clericorum Societatis Jesu*: illa enim particula *clericorum* non sine causa addita est. Significatum est ergo, religionem hanc ex clericis constare debere; hæc ergo est quasi materia, ex qua hæc religio conficitur. In contrarium autem est, quia vel denominatio hæc sumpta est ex solo habitu, et hoc parvi momenti est; nam habitus non facit religiosum, cap. *Porrectum*, de Regular., sed est signum ejus; vel ex re ipsa, et in hac vel æquatur, vel certe superatur a religionibus, quæ monachorum esse dicuntur; nam plures in qualibet illarum (servata proportione in numero personarum) sunt sacerdotes et clerici, quam in Societate inveniantur. Quid est ergo cur Societas dicatur clericorum religio?

2. *Prima assertio probatur auctoritate Concilii Tridentini.*—Nihilominus dicendum est primo, Societatem vere ac proprie dici, et esse clericorum ac presbyterorum religionem. Hoc sufficienter probat prædictum testimonium Concilii Tridentini, colligiturque ex variis loquendi formulis quæ in Bullis Pontificiis habentur. Nam in prima et secunda bulla Pauli III, in quibus forma instituti proponitur, ejusque confirmatio et extensio conceditur, solum exprimitur Ignatium et socios esse presbyteros, qui ad munera presbyterorum se consecraverant, et ut habere possent socios, qui hunc finem et munus perpetuo intenderent, talem religionem instituisse, quæ sub ea ratione approbata est. Et ideo in bulla quarta specialiter concessit idem Paulus III facultatem et licentiam recipiendi in Societatem seculares, seu laicos in temporale adjutorium, quod est indicium, primam approbationem et

facultatem Societatis per se ad hoc fuisse, ut ex clericis seu presbyteris constaret. Unde in altera bulla confirmationis Julii III, expressius in ipsamet forma instituti dicitur: *Socii autem omnes cum presbyteri esse debeant*, etc. Et ita postea confirmatur. Hinc etiam Pius V, in bulla anni 1571, quæ incipit, *Dum indefessa*, socios vocat *presbyteros Societatis Jesu*. Et Gregorius XIII, in bulla anni 1576, *Quæcumque sacrarum: Licet* (inquit), *sicut accepimus, dilecti filii præpositus generalis, et alii presbyteri Societatis Jesu*. Et eodem modo loquitur in bulla alia ejusdem anni, quæ incipit, *Salvatoris Domini: Licet dilecti filii presbyteri venerabilis Societatis Jesu*. Idem in bulla anni 1578, *Quanta in vinea*, etc.; clarius in bulla anni 1573, *Ex Sedis Apostolicæ*, etc.: *Cum instituto clericorum regularium Societatis Jesu*, etc. Sufficienter ergo ex tam multiplici appellatione constat, non casu, et sine causa ita appellari; sed quia in superioribus diximus, tractatu præcedenti, lib. 1, cap. 7, religionem recte distingui in religionem monachorum et clericorum, significatum est Societatem sub hoc posteriori genere contineri. Ratio autem hujus explicanda superest.

3. *Secunda assertio declarando suadet.*—Dico ergo secundo: non solum ratione habitus, sed etiam ratione proprii instituti et functionum ejus, Societas est et vocatur religio clericorum ac presbyterorum. Hoc dixerim imprimis, ut distingatur hæc religio ab aliquibus, quæ *clericorum* dicuntur, solum quia habitum clericorum retinuerunt, quamvis ex speciali intentione sua non intendant aliquem finem, vel functionem, propter quam sit per se necessarius clericalis ordo; unde totum earum institutum æque bene servari posset, etiamsi personæ earum clerici non essent, ac propterea tales religiones, si quæ sunt, valde materialiter et accidentaliter dicuntur esse *clericorum*, solum quia in habitu cum clericis conveniunt. Proprie autem (ut supra diximus ex D. Thom. 2. 2, q. 189, art. 8, ad 2) illa est religio clericorum, quæ per se instituitur ad eas functiones, ad quas clericalis ordo per se necessarius est; aliæ vero, quæ ex vi sui finis non requirunt tales functiones, cum per se non requirant clericalem ordinem, non sunt proprie religiones clericorum, etiamsi per accidens ob alias occasiones plures sacerdotes habeant. Constat autem ex superioribus dictis, religionem hanc ex primario fine suo postulare actiones maxime proprias clericorum, quales sunt illæ, quæ ad perficiendos et illuminandos

specialiter homines ordinantur; ergo non solum ratione habitus, sed multo magis ob rem ipsam, et ob finem et munera talis religionis, *clericorum*, seu *presbyterorum* appellatur.

Deducuntur aliquot corollaria præcedentis doctrinæ.

4. *Cur Societas peculiarem habitum religionis non assumpserit.*—Imo hinc sequitur primo, non ideo Societatem esse religionem clericorum, quia habitum clericorum portat, sed potius e contrario, ideo religionem hanc retinuisse clericorum insignia, quia ipsa per se maxime est clericorum religio, ac per se primo tendit ad perficiendos homines suos in statu clericali, et ut proprias clericorum functiones honestius, sanctius ac fructuosius perficiant. Ex quo obiter responsum est ad multorum interrogationem, cur Societas, si vera religio est, proprium aliquem religionis habitum non assumpserit, quæ solet etiam esse una ex objectionibus quæ contra Societatem fiunt, quoniam videtur, aut novitatem affectare, aut tacite usum peculiaris habitus reprehendere, aut illius dedignari. Item, quia secundum personarum varietatem et gradum habitus distinguendi sunt, teste Augustino, epist. 499, et refertur 33, q. 5, cap. *Quod Deo*. Et ideo Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 6, de Reform., dicit, licet habitus non faciat monachum, oportere clericos suo statui decentem habitum deferre, ut etiam habitu professionem suam probent, ut dixit Concilium Carthaginense IV, c. quadragesimo quinto, c. *Clericus*, d. 41. Et in Concilio Aquisgran., dicitur habitus singulorum ordinum ad hoc esse institutos, ut liquido constet in qua professione unusquisque Domino militet. Ex dictis, inquam, optima ratio et responsio datur ad prædictam interrogationem; ideo enim sacerdotum habitum hæc religio retinuit, quia ipsa religio sacerdotum est, et habitus debet esse accommodatus muneri, et officio quod persona exercet. Item, sicut hoc institutum per se ordinatum est ad perficiendos homines in statu clericali, ita decuit eorum habitum nihil aliud significare, quam clericos religiose et sancte viventes ex vi suæ professionis. Ubi merito accommodari potest, quod in Concilio Aquisgran., sub Ludovico, cap. 129, reprehenduntur Canonici regulares habitu monachorum utentes, cum eorum habitum usurpare non debeant, a quorum proposito quodammodo distant. Maxime vero contra quoscumque detractores accommodari potest, servata